


ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corsio Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

•••

Sedes aliae: In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bastia Umbra - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bisceglie - Bologna - Bolzano - Borgo a Mozzano - Bra - Brescia - Cagliari - Caltagirone - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Casalbuttano - Castellamonte - Castelnuovo di Garfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cornigliano Ligure - Cortona - Cotrone - Crema - Cremona - Cuorgnè - Dogliani - Fabriano - Fermo - Fiesole - Figline Val d'Arno - Firenze - Foggia - Foiano della Chiana - Foligno - Forte dei Marmi - Fossano - Frascati - Frosinone - Gallicano - Gallipoli - Genova - Giugliano Camp. - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lanciano - Lecce - Legnano - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Mercatale - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietranello - Monte S. Savino - Monte Urano - Montevarchi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Nocera - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Orzinuovi - Pagani - Palermo - Pallanza - Parenzo - Piadena - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Poggibonsi - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferaio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Rapallo - Reggio Cal. - Rivarolo Canavese - Rocchetta Ligure - Roma - Rovigno - Salerno - S. Benedetto del Tronto - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Saronno - Savona - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Squinzano - Tagliacozzo - Terranova Sicula - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo - Volterra.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exteras gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borjas Blancas, S. Coloma de Queralt, Wals in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli in Syria - Gerusalemme, Caifa, Giaffa in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI Communia vitae. Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. - Lib. 1,50.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotionis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50;
pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15
ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ☈ ☈ ☈ ☈ ☈ ☈ ☈ ☈

DE "FOEMINISMO".

« Foeminismi » quod vulgo dicitur, ea est doctrina, quae mulierem posse, imo et debere praedicat, quod viri antea fuit, quasi ut homines quam gentem in servitutem redegissent et contemptui habuissent, aemulam pertimescerent.

Nulla inde mora. Acris ingenio mulier medicinam, mathesim, naturales omnes disciplinas aggressa est; quin etiam, prudentiam iuris occupans, magnum indolis et alacritatis praebet ubique specimē.

At illud foemina portentum est, cui et imperare et servire hominibus periculorum saepe, turpe semper; idemque ea est, quae aut humiliter serviat, aut superbe dominetur.

Quae quidem probe scientes prisci illi
Quirites, qui regendi imperio populos tan-
topere calluerunt artes, cum Iuvenale sen-
tiebant:

*Non habeat mulier, tecum quae iuncta recumbit,
Dicendi genus; haud curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.*

Atqui recentiorum experimentum sapientiam veterum comprobavit. Est enim in sapientia potentiae genus perpetuum, constans, irrecusabile, a quo denique subiici necesse est. Hinc foemina sapiens, et

sapientia sua tumens, non modo artes atque doctrinas, sed magistratus et honores vi- riles praecipue satagit, idque iure facere arbitratur et recte, ut, qui sprevere sociam, perferant imperantem.

Primum, exente saeculo XVIII et omnes
civium ordines Gallia subvertente, Olympia de Gouges ius politicum pro foeminis
postulavit, ut populi oratores ad leges in
publicis coetibus ferendas etiam a mulie-
ribus eligerentur, coetusque mulierum et
conventicula indixit. Illud vero publicae
potentiae genus, quod « Conventionem »
vocarunt, nono thermidori mensis die,
coetus muliebres et conventicula rescidit,
et conatum repressit.

At ignes suppositi cineri doloso, post annum MDCCCXXX, iterum emicuere flam-
mis; et, reversa iterum apud populum po-
testate, anno MDCCCLXX, quamplurima ex
iis, quibus inhiabant, mulieres assequatae
sunt, et praeter votum ad eos eligendos,
qui rempublicam et municipia admini-
strent, cetera tenuerunt. Gymnasia et pe-
culiares scholae concessa sunt; deinde cum
viris medicinam, mathesim, philosophiam,
excellentiores litteras, iurisprudentiam
passim communia habuerunt; academia-
rum insignibus et laureis fruitae sunt,
eoque pervenerunt, ut non multo temporis
spatio octoginta millia mulierum inter

doctores vel in supremis athenaeis reenserentur. Quinimo externae adolescentulæ Parisios migrabant, ibique navata opera studiis, ad sua revertebantur laurea donatae, publice ut illa exercent quae didicerunt, sive foro usae, sive aegrotos curantes.

Foemineae etiam societas in Gallia plures atque florentes, ex quibus rogatio facta est pro nonnullis in civilium legum tabulis, quibus, seu insertis, seu abrogatis, aequalitas iuris et personae adstrueretur, nec viris minor coram lege esset mulier, quae eadem ac viro praestaret, nosceret, et posset.

Britannia, iam a saeculo ferme integro, mulieribus suis multa concessit. Illic societas, quae *a primulis* nomen sibi indixit, brevi quadraginta sodalium millia numeravit: triginta autem illa, quae appellata est «Societas liberalium foeminarum». Atque primum votum ad municipia exercuerunt iusque obtinuere tum eligendi, tum quo eligerentur ad concilia generalia pagi vel provinciae; iamque nunc in eo sumus, ut oratrices in publico coetu legibus ferendis recenseantur. Ibi insuper habentur studiorum athenaea pro foeminis tantum constituta: medicae ex his pleraque et ad magisterium.

Apud Moschos mulieres ferme apicem potentiae contigerunt, postquam Alexander II Caesar, anno MDCCCLVI, primum lyceum foeminis instituendis vovit. Priusquam Russorum imperii res everterentur, tercenta supra quinquaginta numerabantur lycea foeminis tantummodo addicta, decem et ultra millium adulescentularum frequentia. Ex iis aditus ad medicinae studium; medicorum quippe summa ad Russica oppida inopia. Nonnullis abhinc annis «statisticae», quas vulgo nuncupant, nos docuerunt septingentas mulieres illic publice medicinam facere, et ex hisce centum et quinquaginta fungi munere imperialis iuris, seu publicae praessent saluti

insipientes et animadverentes, seu quid maius gererent in pagis.

In Suevis, Oscar II rege et erudito Ibsen illo Henrico faventibus, multa consequatae sunt foeminae, nec est causa qua vel Anglicis vel Moschis invideant; immo plus iis gaudent, tum quia plura in iure politico exercendo et in administrandis rebus publicis tenuerunt, tum quia, si familiariter assepolleant, eligunt et ad religionis gerendas res pastores, et ad municipalia et provincialia Concilia oratores. Quid ultra? Quum votum peterent, quo et eligerent et eligibles essent in curia populari reipublicae, vix undecim negantibus petitio reiecta est.

Apud Batavos foemineae Societas in mercedes augendas maxime intendunt.

In Germania duplex est foeminae Societatis genus: «populare» unum, cui ad aliqua assequenda in electionibus publicis atque in legibus ferendis novis opus; «socialisticum» alterum, votis et praecepsis intendens, quae Bebel exposuit in libro, cui titulus: *Mulier vetus, hodierna, futura.*

Sed foederatae Americae septentrionalis civitates in iuvandis efferendisque foemini longe praestant. Satis esto, quod sequitur; apud nonnullas ex iis civitatibus aequatae sunt in honoribus omnibus mulieres viris, ita ut vel reipublicae praeesse possint, si elegantium vota sibi concilient; apud alias tantum ad municipii iura concessum votum; apud alias denique in scholis ac de scholis vota sunt et mulieribus. Aliquot ante annos sexaginta adolescentularum millia scholis propriis utebantur; ter centum millia fungebantur magisterio; mille circiter sublimiora, laureis decorae, docebant. Medicinam exercebant quatuor millia et sexcentae; causas tuebantur, sive in civilibus, sive in poenalibus, quinquaginta ac ducentae; ministrae religionis (presbyterae, inquam, foeminae) — mille ducentae ac quinquaginta. Quousque vero nunc harum omnium crevit numerus?

**

Hac veluti ex tabula patet «quid foemina possit». Bono id an malo humano?

Dicam quae sentio. Quavis humana in re sunt «mala mixta bonis; sunt bona mixta malis», ut inquit poëta. Laudo foeminam ingenio praeditam, praesertim in medicina opportunam; est enim foemina plenus pietatis et commiserationis animus, in aegrotos maternus; laudo foeminam sibi comparantem studio victum, et honorem, et labores elegantem, potius quam inutilem otio vitam, et otio ipso corruptam et corruptentem; laudo foeminam in libros potius, quam in crepundia, et utilia vestium ornamentorumque lucra, redditus impudentem; at haec laudo eodem circumscripta limite, quo laudo rusticam parcamque colonam in lagonem, falcem, aratrum incumbentem. Verum ne *quid nimis* in omnibus et in singulis. Quemadmodum enim viriles labores omnes debiliora mulierum membra non sustinent, sic non disciplinas omnes muliebris ingenii infirmitas et indolis levitas patitur. Sit docta mulier, plurima noscat; at illud primum sciat, affore sibi tempus, quo non de doctrinis, nec quid calluerit, nec quid ignoraverit, sed quam bona materfamilias fuerit, conscientia iudice, requiratur.

P. d. V.

ROBERTUS CARDINALIS BELLARMINO tertio exeunte saeculo ab eius obitu

Trecenti his diebus anni absoluti sunt, ex quo Robertus Card. Bellarmino e Societate Iesu, summus ille Catholicae ecclesiae lumen, Christianaeque doctrinae contra haereticos adsertor strenuissimus, Romae

in humili sacello collegii S. I. ad S. Andream in colle Quirinali pientissime diem obiit supremum. Cuius ut memoriam recolleremus, occurrit optime nobis ultro oblata oratio, quam Gallutius, sodalis eius, ob solempne funus in romano templo a Iesu nomine nuncupato, idibus Octobris anni MDCXXI celebratum, latine habuit; ex qua locos duos deprompsimus; alterum de viri iuvenili aetate virtutibus et studiis, alterum de eximia eius religione.

Sunt autem qui sequuntur:

«Ex honestis, bonisque maioribus in urbe Politiana, quod norunt universi, — (die IV mens. Octobris MDXXXII) — Bellarminus est natus: quibus ut ipse continuo moribus, ac pietate respondere studuerit singularis, multo se tamen similiorem exhibuit avunculo suo Marcello Cervino Pontifici Maximo, religiosissimo, doctissimo ac prudentissimo viro, quem Christianus orbis tamquam e caelo per machinam in hoc Theatrum exemplo demissum effuse gratulatus est, ex eodem repente subductum vehementer indoluit. Anno aetatis sextodecimo nondum exacto, humanarum per taesus, atque affectus fastidio rerum, Sodalitatem hanc nostram¹ infantem adhuc, et prope crescentem in cunis precibus expediti infimis; sed quum a patre ad explorandam animi constantiam in quodam vico Cervinorum attineretur, praeterquam quod, operi futuro praeludens, ad paganos de Deo, deque Christiani hominis officio concessionabatur assidue, in consanguineorum etiam aequalium Academia, ubi alium alii scriptorem explicabant, orationem ipse pro Milone Ciceronis egregiam, atque ut antiquorum aliqui loquuntur, orationum Reginam ausus est illa aetate puer interpretari. Quo tempore, ut eius quoque facultatis, in qua mirabili modo iuventutis prodere se solet ingenium, et amoenitas animi,

¹ Nempe Societatem Iesu.

specimen aliquod daret, carmen fundere coepit, et bonum, et multiplex. Nam quum alia multa latina, popularique lingua poëmata fecit, tum unum, quod primum fuit, de virginitate paeclarum, et eclogam, elegiamque de Roberti Nobilii Cardinalis¹ obitu longe pulcherrimas, quae in hominem honesta corona pronunciatae, non modo cum acclamatione sunt exceptae, verum etiam auditae cum lacrymis. Cum hac indole post aliquod tempus hanc Soda-litatem ingressus, illico coepit inter excellentia ingeniorum lumina, quibus etiam tum efflorescebat hic coetus, ita praefulgere, ut philosophicis tantum imbutis artibus, necdum sacris initiatus, simul ad domesticos de virtutum cultu statim ex more diebus verba faceret, simul humaniiores in Gymnasio doceret litteras, simul sacras explicaret in templo, tanta cum approbatione, quantam ne ipsi quidem veterani promerebantur. In quo munere cum Monti Regali Cispadanorum² urbi paeclaram initio navasset operam, Florentiae deinde, ac Patavii, tum denique Venetiis, in Urbe domina, prima nostrorum hominum iam inde ab initio Societas altrice, summam consecutus est laudem: ubi eum nobilissimi, disertissimique Senatores, quorum illa Respublica florentissima, et singulari sapientia regitur, et abundat numero, non cum admiratione solum audiverunt e loco superiore dicentem, verum etiam ad extremum opera perfunctum sua, et discedentem exosculari cum pietate voluerunt. Paucissimi quidem fuere, sed tamen fuerunt aliqui ad militaria studia sic facti, ut exercitus ante duxerint, et copias, quam aut in tirocinio fuerint aut inter gregarios stipendia ficerint: id quod nominatum contigisse

¹ Vitæ innocentia Angelus nuncupatus; poenitentia studiisque paeclarus obiit anno p. Chr. n. MDLIX, aetatis decimo octavo nondum expleto.

² Vulgo Mondovi.

Lucullo ferunt; qui propter incredibilem ingenii magnitudinem subito ingressus est imperator in Asiam, quum fuisset rei bellicae ruditus ex Urbe profectus. Sed quod in re militari tam rarum exemplum est, id ego video in omni doctrinae laude Bellarmino adolescenti singulariter esse concessum. Ut enim Augustinus omnium illa genera rerum, obscurissimo ab Aristotele stylo descripta, nullo magistro praeeunte percepit; sic ipse difficillimas quasdam gravissimasque docere aggressus artes, optimus repente magister apparuit earum rerum, quarum, aut nunquam, aut certe vix fuisset ante discipulus. Missus in Belgium est necdum Theologiae cognitione penitus institutus in schola, nec ullis instructus Ordinibus ex iis, qui Sacerdotio paepearant viam; ita ut necesse haberit Leodii minores omnes, et e maioribus ac sacris unum accipere, reliqua autem Gandavi a Cornelio illo Iansenio,¹ cuius in Evangelio laus, et perfecta lucubratio est, aliquando fuerit insignitus. Et tamen illa aetate iuvenis, ac tiro sacrarum interea monumenta litterarum latina concione Lovanii sic interpretabatur in templis, in exedra Theologiam, excellentem illam, divinamque scientiam ita docebat, ut clamoribus undique factis, ad eum audiendum utriusque rei causa ab innumerabili multitudine cum pugillaribus et palimpsestis ex tota provincia concurreretur. Hic videlicet, ubi novitiatus paeceptor inter imperatoria munera tam egregia rudimenta ponebat, meditari coepit bellum, quod postea, et indixit animose, et suscepit ardenter, et promovit constanter, et bona demum ex parte profligavit adversus Ecclesiae transfugas, quibus in toto terrarum orbe vix habet alios hostes Christiana religio capitaliores ».

¹ Cornelius Jansens, Episcop. Gandavensis vita functus a. MDLXXVI, insignis sac. Litterarum interpres.

* * *

*Ven. Bellarminii exempla virtutum
in Cardinalatu.*

Principio, quemadmodum in commentario legi, quem suo ipse chirographo consignatum reliquit, id apud se certissimo decreto sancitum voluit, ut pristinam parsimoniam victus, piamque consuetudinem precationis ac ceteram vivendirationem antiquam perpetuo retineret; deinde, ut nullos a Pontifice redditus, proventusve peteret annuos, nulla prorsus a Principibus acciperet munera, quibus occaecantur etiam lyncei: tum, ut nullas sibi pararet opes, quibus affines, et consanguinei redderentur opulentiores. Quae profecto quam exagerate, cumulateque paeestiterit omnia, duorum et viginti decursus annorum semper aequabilis, ac similis sui, sanctissima demum innocentis vitae conclusio declaravit. Quod enim attinet ad divinarum commentationem rerum, ac pias preces, nunquam commisit, quin eius studii causa de nocte consurgeret, et fecit semper ut ad veterum usum aliquid plus temporis et vacationis accederet: quod ad cibi, vitaeque degendae modum, et cum priori temperantia ieunia singulis hebdomadis terna coniunxit et a generali Societatis nostrae Moderatore legem efflagitavit, qua supellectilem, familiam, instrumentum omne domesticum veluti certissima regula metitur. De proventibus autem quam nihil omnino laboraret, alias quidem semper, sed tunc maxime demonstravit, quum post accepti honoris initia, nullis ipse copiis instructus, debenti pensionem Episcopo non copioso remisit totam, condonavitque minime rogatus in perpetuum, et Clementi Pontifici opulentum ei, quod primo quoque tempore suppeteret sacerdotium pollicenti constanter affirmateque respondit, quicquid hoc esset divitiarum et opulentiae alii se libenter, ultiroque concedere: sibi sportulam, et cubiculum in ea Societate,

cuius etiam tum pars esset aliqua, deesse non posse. Suscepit ille quidem aliquando Capuae Sacerdotium, et quoniam ita iubebatur, eius civitatis Antistitem se passus est fieri; sed utrum in eo questum pecuniae, an animarum facere compendium vellet, ab iis intelligite, qui totam nobis eius muneris ineundi, procurandique rationem in hunc modum exposuerunt. Principem urbis aedem, ipsamque domum Archiepiscopi male materias, et squatore obsitas haud mediocri sumptu primo loco refecit; nec festum ullum ire sinebat diem, quo non ipsem in templo concionem haberet: deinde numero familiarum descripto, quarum vel angusta res esset, vel gravis inopia, singulis mensibus certa pecuniae summa sublevabat singulis: denique, ut ne iis quidem decesset, qui vicatim, oppidatimque stipem emendicant, iussit in ipso domus atrio, vestibuloque diribidores esse, qui potentibus advenis quotidie cibatum, ac nummos impertirentur.

Atque hoc institutum in obeunda quoque provincia, et ditione, quam singulis omnino lustrabat annis per pagos ubique concionabundus, accurate retinuit, neminem unquam passus abire vacuum ex iis, quos aliqua premi rerum egestate cognovisset. In quo genere quoniam unum videatur esse, quod exponi solitarie velit; ac separatim enarrari, non committam, ut temere cum ceteris involvatur.

Decessit die xvii mens. Sept. MDCXXI. Ex Bellarmini operibus, in septem volumina congestis, peculiari mentione digna sunt: *Disputationes de controversiis fidei adversus hereticos.* - *Explanatio in psalmos.* - *Explicatio Symboli Apostolici.* - *Institutiones linguae hebraicae.* - *De translatione imperii.* - *De potestate pontificis in rebus temporalibus*, etc.

.....

Ab homine homini quotidianum periculum.
SENECA, Epist. 104.

ARCHÆOLOGICAE RES

De Urbis antiquitatibus ad Portam Maiorem.

Quum nuperrime forte irem ex more via, qua ad *Portam Maiorem* itur, et novas mecum rerum inventiones meditarer, quae continuo tum sapientium studio, tum recentiorum aedium necessitate, in lucem redeunt, apud ambulacrum Alexandro Manzoni dedicatum perveni. Hic magna mihi hominum multitudo obvia fuit, quae de monumento nuper invento multa narrabant. Hae vero novitates, haud iam sunt propter consuetudinem in Urbe insuetae. Quot enim divitiae mirum in modum ex Romae moenibus leviter effossis inveniuntur! Nunc vero in fodiendo solo monumentum haud ita profundum ex improviso apparuit, partim e toplo excisum, et partim solo proprius muro substructum...

Multi hinc inde Romani, rerum novitate delectati, locum, agmine facto, circum eunt, et magna antiquitatum vestigia quaerunt, secum ipsis colloquentes. In his et ego « stupeo obtutuque haereo defixus in uno ». Video scalam lateribus confectam qua ad areolam descenditur; atque hinc inde binae scalae, quae inferius in diversas partes conducunt.

Ex laeva parte itur ad spatiostum clavem idemque quadratum, ubi cuniculi toplo confecti cernuntur, ut saepe in catacumbis... Hic mirum in modum « saxa sonant, vocisque offensa resultat imago ». Ex dextera vero tres adstant lenes ascensus, qua ad tria brevia cunicula itur, quae nos cum altera coemeterii parte committunt.

Verum dum haec tacitus et stupefactus contemplor, ut quidnam olim fuerint non visse mente exoptarem, hominem prope senem ad latus meum video, qui in ipsis decernendis totus erat.

Curiositate compulsus, sic eum compellere confidentius haud dubitavi:

— Suntne, — dixi, — bone, haec opera effossa aevi nostri an temporis transacti?

— Adeo! — respondit, — rerum romarum hospes, ut haec antiquissima esse ignores? Haec conclave, picturis exornata, quaeque optime sese habent, quorum pavimentum musivo est opere confectum cum inscriptione nigris albisque lapillis insculptum, quatuor viros gentis Aurelii referunt, ni forte eius sint ipsi liberti.

Quae, quum magna vocis orisque auctoritate protulisset, me monitum fecerunt, quin ipse nomine diceret: eum esse agnovi, qui celeritate ingenii et notitia rerum, optime romanae antiquitatis vindex undique appellatur.

Is est Horatius Marucchi, qui I. B. De Rossi vestigia mordicus secutus, primas nostris diebus in re antiquitatis facile obtinet. Nulla res maior in monumentis sine eo geritur in Urbe, celeriter quae opus sunt reperit, facile eadem oratione scriptisque explicat. Neque minus in rebus gerendis promptus quam excogitandis est, quod et de instantibus verissime indicat, et de futuris callidissime coniicit. Quo factum est ut, eo magistro, brevi tempore omnia illustrarentur.

Ait enim: — Hoc sepulcrum adeo illustre pertinet, mea sententia, ad aetatem quae regno illico Aurelianii praecedet, quoniam compositum fuit in interiori huius principis septo, et lege cautum erat ne intra moenia quis conderetur; atque ex eius forma et picturarum ratione nos arguere possumus factum fuisse vel initio saeculi tertii, vel saltem sub finem secundi.

Illi enim tempore corpora humari consueverunt; nec iam igni, ut antea, crembantur. Picturae etiam sinistri conclavis, pulchriori utique sensu compositae sunt. In pariete inferiori effinguntur undecim viri cum tunicis et palliis. Olim fortasse duodecim fuere: in superiori pulchra appetur urbis imago cum aedibus suis, viis, populi infinita multitudine. Imagines hic depictae ex urbe exire videntur portantes

statuam equestrem. Erit fortasse Ithaca patria infelcis Ulyxis. Imagines istae paganorum sepulcrum equidem insimulant. At quater in fornice figura cernitur *Boni Pastoris*, qui laetus ovansque amissam ovem ulnis gerit, quemadmodum christiani effingere consueverunt. Idque et ipsa forma subterranei inferioris sepulcrum christianum in mentem revocat. Pictura enim huiusce cubiculi est equidem magni ponderis atque momenti. Obvius est in sinistra pariete vir quidam barbatus, prolixioribus capillis, multumque effigiem Salvatoris referens. Sedet insuper in monte, volumen legens quod prae manibus tenet; et longe glomerantur in orbem et diversimode errantes stant in latissimis campis pecudes. Lector vero et oves unum quoddam mirabile perficiunt, ut cernitis, et insigniter sibi amice sociantur. Pictor enim ita pastorem quemdam arcum effingere voluit et mysticas oves. Cogitanti mihi haec omnia in mentem venit celebris illa Abercius inscriptio quae nunc in Lateranensi museo asservatur, et episcopus ille Orientis, saeculi secundi, se se discipulum Iesu Christi Boni Pastoris hisce verbis proclamat: *Abercius minor, discipulus sum castissimi Pastoris, qui gregem suum in montibus pascitur et in campus, sed omnia lata oculis circumspicit, et me litteras immortales docuit.*

Nuperrimus hic hominum globus et quatuor Boni Pastoris figurae quae ex more christianorum artem referunt, grave mihi esse testimonium videntur et in hoc ipso simplici arte eamdem pretiosi Geronpolis inscriptionis sententiam excupi.

Hic dum vir sapientia vastus atque ore rotundus, haec mira eloquentia profert, ne gravis ei essem rogavi ut clementer aliquantulum acquiesceret, et in posterum commodius rem explanaret.

(Ad proximum numerum).

SENIOR.

DANTIS ALLIGHERII
INFERI.

Carmen X.

(Ex ineditis JOSEPHI TORALDO).¹

Per callem angustum dux inter moenia Ditis
Atque sepulcra ibat, quem sequor ipse

[comes.]

Qui me tartareos ducis, vir summe, per orbes
(Orsus ego vati): dic, mea vota reple.

Cerni nonne potest his urnis condita turba?
Urnae namque patent, nec vigil ullus adest.

Busta haec claudentur cum valle ex Iosaphat — [inquit —

Huc redit assumpto corpore quisque suo.
Hac cum discipulis usta iacet urna Epicurus,

Qui corpus cum animo morte perire docet.
Protinus atque tibi faciam satis ipse petenti,

Et desiderio, quod mihi quippe tegis.

Dux bone, fatus ego, scito, mea vota recondo,
Ne sermo multus sit tibi forte gravis,

Non semel ut dictis sapiens documenta de- [disti.

— Tusce, per urbem ignis qui modo vivus [ab]is

Verba modesta loquens, hac paullum sede [morare:]

Sermo tuus monstrat nobilis esse genus
Urbis, cui vixi nimium fortasse molestus. —

Altera ab arcarum vox subito ista sonat.
Quare animo trepidus proprius me iungo

[poëtae,]

Dixit et ille mihi: Verte oculos, quid agis?
Ecce Farinatam, qui rectus corpore surgit

Pube tenus, totum cernere quemque po- [tes.]

Sed mea iam feriunt illius lumina vultum;

Pectore is erigitur, fronte et atroce velut
Infernus illos prorsum contemneret ignes.

Et per busta ad eum dextera prompta [ducis]

Me traxit, dicens, tuus esto sermo reclusus.

¹ Cfr. fasc. super. mens. Aprilis.

Ut petii urnam, in me lumina fixa tenet,
Et veluti iratus maiorum nomina poscit,
Quos ego detexi iussa capessere avens.
Hinc paullum meditans oculos extollit in al-
[tum]
Et dixit: Nimium gens inimica mihi
Illa fuit generique meo, sectaeque meorum
Quare illam bis ego depuli ab urbe procul.
Sed nostri proavi rediere bis undique, dixi, et
Artem hanc maiores non didicere tui.
Detecta ex arca cervicem tum extulit umbrae
Ad mentum usque, reor se posuisse genu.
Et circumspiciens quasi vellet noscere mecum
Si qui sint, facta et certior, illa gemens:
Si virtute tua per caecum carceris antrum
Pergis, dic mihi ubi est filius ille meus?
Ecce non tecum? Talia fatus ego:
Ex me hoc non veni, forsitan ille tuus
Guidus despedxit qui me per tartara dicit.
Istius notum iam mihi nomen erat
Ex poena et verbis, responsa at plena fuere.
Et subito assurgens: Quid sibi verba ve-
[lint
Ista? ait, anne meum Guidum mors dira pe-
[remit?
Non plus ille auras ebbit aethereas?
Cumque morarer ego responsum ferre, supi-
[nus
In loculum cecidit, iam neque visus erat. -
Et primum revocans sermonem haec addidit
[illi:
Ars illa a proavis si male capta fuit,
Id mage me cruciat, quam accensum hoc igne
[cubile.
Non quinque ac decies lumine plena suo
Fulgebit facies dominae regna ista regentis,
Illa atque ars noscas quanta nociva fuit,
Et cum iucundo remeabas in orbe, locutor,
Cur gens illa atavis sic inimica meis,
Legibus et fuerit contra illos tam impia latis.
Quare ego fatus ei: Funus et exitium
Quod multo Arbiacas depinxit sanguine lym-
[phas
Consilii has templo fac recitare preces. -
Tunc quassans caput, atque trahens suspiria
[dixit:

Tanti equidem solus non ego caussa mali,
Nec sine caussa tunc horum sententiae
[adhaesi,
Sed palam ego surgens unicus arma tuli
Adversus qui deleri Florentia dicunt.
Gaudeat oh soboles pace aliquando tua,
Solve mihi nodum qui nunc mentem impli-
[cat, oro:
Ut videor, vobis nosse futura datur,
Non ita factarum vestra est cognitio rerum.
- Quae procul a nobis sola videmus, ait,
More senum, qui a se melius distantia cer-
[nunt,
Est tantae lucis Numen et ipse dator.
Cum prope res fieri, res et cognoscere factas
Nostra est mens impar, nos hominum unde
[vinces
Pene latent, ni aliis referat legatus ab alto,
Quare nos omnem perdere notitiam
Noscere tu poteris, cum clausa est porta fu-
[turi.
Tunc veluti magno crimine punctus ego
Fatus: Dic illi, qui ignita est lapsus in urna
Auras quod spirat filius aethereas,
Quaesitusque suis responsum si ipse negavi
Nodus, solvisti quem mihi caussa fuit.
Interea dux me arcessit dum talia fabar,
Quare umbram posco diceret ipsa mihi
Quot socios habeat tenebroso in carcere Ditis.
Quae dixit: Cum aliis millibus hic iaceo:
Hic alter Federicus adest, hic purpura ami-
[ctus,
Nomina cunctorum dicere inane foret.
Se dein abscondit, prisco et vestigia vati
Verti ego, mente agitans redditia verba
[mihi,
Quae nimis aspra ratus, multumque inimica:
[ducemque
Dum sequor, ille mihi plenus amoris ait:
Cur ita tristis abis? satis et feci ipse petenti.
Quae sunt dicta tibi pectore sculpe me-
[mor,
Vir sapiens iussit, digitumque extollit in al-
[tum
Dicens: Attentus suscipe verba mea:
Illi cum astabis, quae felix omnia noscit,

Vitae huius cursus haec tibi pandet iter.
Inde sinistrorum perrexit moenia linquens,
Per median ac urbem coepimus ire viam
Quae trahit in vallem, quae auras male spi-
[rat olentes,
Illuc atque gravis pervenit huius odor.

Nobilis rerum expositio quae ad Magellanicas terras pertinent

In urbe Taurinensium principe, ubi
quoque est prima et multiplex Salesiano-
rum domus, exeunte proximo mense Maio,
plaudentibus civibus, est rite inaugurata
haec rerum expositio, quae ad Magellani-
cas terras pertinent. Sed in primis quid
est haec Salesianorum princeps domus?

Paucis me expediad.

Quod olim generatim de religiosorum
aedibus dici consuevit, idem de innumeris
continuatisque domibus dicere poteris,
quas Ioannes Bosco sacerdos, immortalitate
insignis, pueris alendis educandisque
aperuit. Omnes sane incolae et advenae
hoc eius opus praeclarum gratulantes in-
visunt. In ipso enim omnem laborem for-
tunamque, propositi pertinax, tulit divi-
nissimus ille vir. Ibi optime cernitur, ut
saepe apud omnes religiosas soboles, cam-
pus spatiösus et amabilis, ubi sunt septem
seu plurimi illi purissimi fontes et amoena
vireta.

Quod enim veteres sancti Romualdi
discipuli in aedibus Camaldolensis obti-
nent, ibi arcana quadam ratione in artibus
pueris tradendis significatur.

Hic equidem magna rerum hominum-
que varietas.

Hic quoque amplum puerorum educan-
dorum collegium, quod haud ita multo
ante, opitulante Deo, sanctissimus vir aedi-
ficavit, egentibus praesidium ac securum
rebus in adversis perfugium.

In hisce aedibus est nuper sacrarum
apud exteris gentes expeditionum speci-
men apertum, ut facile quisque arguere
possit, quid in bonarum artium utilitatem
fecerint, quid in hominum prosperitatem
Missionarii referant.

Et hic prae oculis proponitur, qui esset
illorum incolarum antiquibus cultus, quo-
modo paucis post annis, Deo adiuante,
adsidua Missionariorum opera, regnum
Dei inter barbaras gentes probatum fuerit,
et mirum in modum creverit ac florescat.

Sed cui est harum rerum exitus ma-
xime debitus? Ioanni Bosco, quem iterum
ameris ergo ac reverentia hic memoro!
Ipse enim pietate in Deum insignis, et a
inventute studio religionis inter populos
promovendae exardescens, sodales suos,
quibus a sancto Francisco Salesio nomen
indidit, post Patagoniam medium sanctis
institutis instauratam ac peragratam, ad
remotissima Patagoniae australis litora
ingredi primus Missionarios, divino ausu,
iussit.

Et tibi primum introeundi magnum
subito adparet tentorium agreste equidem
nullaque adhuc arte confectum. Ibi antea
diu noctuque vivere, et se se acervatim
conglobare indigenae consueverant. Uno
in loco circumferuntur cubilia, in medio
stant ligna ut cibos sibi parent. Nullae
aptiores habitantibus sedes, nulla homi-
num vestigia, solitudo vasta et vastius
silentium; nocte crebri ignes micant, et
ipsa tentoria illic late iacentia veluti castra
ostenduntur. Quo facto hisce remotissimis
terrī inditum est nomen *a foco*. Namque,
ut perhibent, Magellanum, celeberrimum
Hispaniarum illum nautam saeculo de-
cimo sexto primum per illud fretum na-
vifragum atque angustum transeuntem,
ignesque indigenarum adsiduos noctu
adspicientem, tellurem illam ignotam ex-
candescensem adpellasse.

At quae rerum pauperies! Habitatores
enim, auri argentique ignari, secum vice

rerum commercia exercent, atque ob saevas hiemis admodum nives assidui, demersis in humum aliquando sedibus, specus aut suffossa passim obtinent. Regio nec caelo laeta nec solo; et nisi qua mari propior est, infecunda, frigida, eorumque quae seruntur, maligne admodum patiens; nusquam pomiferam arborem, legumina modo aliquoties tolerat. Viros plerumque benignus alit; non ad speciem tamen; nam et illis asper atque indecens corporum habitus est; neque ad ferociam et numerum; haud multi sunt neque immites.

Ad hos miseros incolas, barbaros impri- mis adhuc omnisque disciplinae expertes, adpulerunt Salesiani anno christiano mil- lesimo octingentesimo sexto et octogesimo.

*Barbara me tellus orbisque novissima magni
Sustinet et saevo cinctus ab hoste locus.*

Hisce propemodum verbis, quae in *Tri- stibus* Ovidii legi possunt, dux sanctae primae expeditionis ad Magellanicas ter- ras identidem scribebat, quum de variis regionibus loqueretur illius loci, tum de incolis quos invenerat, quibus magnopere studet sacrum divinae sapientiae semen proferre.

At vir, praeclaris virtutibus praeditus, mirum in modum novis semper inventis, incolarum saluti advigilat, et tamquam tenerrima mater, dum omnia bona instau- rare in Christo satagit, dat novas miser- rimis sedes, vestes ad decorum procurat atque ad salutem.

In testimonium religionis, quae felices apud ipsos radices posuit, eminentiori loco adest, parieti adnexa, elegans aedis imago, quae optime photographica arte relata, et in pietate progressus in diem fieri adfir- mat. Dicata fuit Augustae Matri sub titulo Mariae Auxiliatricis.

Ad haec, vides, iure meritoque, conspi- cuam hominis imaginem luce optime ex- pressam. Scisne quis ipse sit? Hic est Iosephus Fagnanus, sacerdos Astensis in

Subalpinis, quem libenter inter meos ele- ctissimos eosdemque carissimos alumnos memoro. Ipse enim, ubi primum Roma provinciam Patagoniae meridionalis Sale- sianorum familiae adtribuit, summo stu- dio ad eam exornandam alacer incubuit.

Namque vegeta adhuc aetate, et divino veluti spiritu afflatus; multis post annis in Patagonia centrali transactis, primus tandem ad Oceanum Magellanicum pervenit, ut *Feughinos* in viseret atque ad humani- tatem informaret. Omnia erant tum ipsi agenda; et omnia sapienter composuit, suaviterque omnia invenit. Quam bene de ipso dices:

*Ordinis ille decus, princeps et semita nostri,
Curus et auriga, portus et aura fuit!*

Universa regio est ei demandata, quae a *Santa Cruce* dicitur, et iacet inter Ocea- num Magellanicum et insulam, quae rectius *Terra de foco* appellatur, insulasque Malvinas. Haec omnis ter circiter Italiam nostram amplitudine facile superat.

Situs eius patet a quadragesimo sexto gradu latitudinis australis usque ad quin- quagesimum sextum, et a primo ad octo- decimum gradum longitudinis occiden- talis.

In tres potissimum tribus huiusc re- gionis habitatores distribuuntur. Sunt enim *Tehuesci*, Indi scilicet *ab equis* dicti, qui continentem agrum habitant. Horum est ibi tentorium, egregie compo- situm, quod *Toldo* suo sermone appellant.

Sunt et *Acatuffi*, a navi sic appellati, quod naviculis rapidissimis utuntur. Est et ipsorum tentorium orbiculatum com- modius, et quasi cum regali tholo.

Novissimi sunt *Onas*, pedestres, ma- gnam qui insulam obtinent, in duas classes distincti: quorum alii agrum occupant cum tentoriis orbiculatis et incuriose detectis: alii vero terras silvas et sub tentoriis ita compositis, ut pluvia hinc inde effluere possit.

Nudi agunt et vix pellibus velantur, quamvis saeva hieme. Victu ita asperi incultique, ut cruda modo carne vescan- tur. Ipsis nec *Massica Bacchi munera*, nec *epula repota*, sed plerumque et pi- sces, qui nec iaculis, nec ab hamo capiuntur, verum longo saepe calamo cum acu- mine. Nec retibus itaque utuntur aut cassibus. Perperam propterea de ipsis scripsit Propertius:

Cassibus impositis venor, sed arundine sumpta!

Ignorant omnino Cereris fruges, atque ideo, ob hiemem quasi perpetuum, Indi nunquam pane vescuntur.

Ingens hic infinitumque pelagus, et magnis aestibus concitum: modo inundat campos, modo late nudat et refugit, nunc in illos, nunc in hos toto impetu versum; sed ubi in omnia litora quamvis diversa sint, terrarum insularumque ex medio pariter effusum est, rursus ab illis colligitur in medium, et in semetipsum reddit; tanta vi semper immissum, ut vasta inde flumina retroagat, et aut terrestria depre- hendat animalia, aut marina destituat.

Hisce aestibus saepe innumeri pisces in litore restant, omnium generum atque mirae amplitudinis, quos incuriose incolae contemnunt, quosque unda mox redux ite- rum reprehendit.

In angusto duorum promontoriorum ex adverso coëuntium, imagine acuminis in arena sedens, urbs *Puncta arenae*, caput illius regionis, longe distenta excedens, tenui radice litori annexitur. Exigua hic et miserrima admodum *Indorum*¹ habita- tio, sordida tecta, casae et sola magalia passim videbantur. Et ipsi Missionarii, quum primum pervenerunt, sudibus casas lignisque confectas habitant. Et templum haud ita ingens Virgini Adiutrici ex more in primis conditum; quod quamvis an-

gustum, carissimum tamen est omnibus, etiamsi ligneum; ibi enim quotidie, ad animarum solamen, ad altare sacris operari possunt, et augustum sacramentum iure adservatur.

At dum Missionarius plurimum incum- bit ut suos peramanter artibus moribus que instituat, ed ad religionem informet, undique ex Europa atque a gentibus proximis avidi homines adcurrunt, qui magnarum rerum fiducia adrepti, litora illa nova occupant, omniaque avare possident atque discerpunt. Namque subito in augen- dis festinant et re omnia obruunt. Quot pecudes, quot oves libere pascuntur!

Opera Missionarii, indigena brevi excul- tus, non modo est providens ovium custos et magister, sed possessor; et dum laetus ad pascua lanigeras pecudes agit, iocose canere quid velit poterit et ludere agresti calamo, novamque carminibus Virginem

Formosas resonare docet Amaryllida sylvas!

Res brevi mutantur; non iam posses- sores ovium, miserrimi *Indi* sunt, sed custodes modo et vi aliena subacti, ipsi et custodes equorum, et usque ad necem saepe operiuntur loris flagellisque. Quid esset de *Indis*, nisi opportunus Missionarius adfuisset? Iamdiu actum esset de ipsis! Ille autem pro viribus eorum cau- sam agit, eosque a calumniis vindicat, novorumque dominorum saevitiam data occasione refrenat.

Interea sub ductu consilioque Missionariorum, plerique commodiorem casam incolunt, etiamsi adhuc nonnulli sine tectis ac sedibus, passim vagi, habent potius ter- ras, quam habitant. Nec iam sunt aedes lignis confectae, sed lateribus e limo terra- re cum paleis igne induratis; quae ex civium more homines recipient vestitos et calceatos, eisque vera atque iusta recen- torum commoda procurant.

Incredibile dictu est quam floreat iam ovium cultus quamque utilis et ferox!

¹ Hoc nomine vocantur quotquot illis locis indi- genae vivunt.

More veterum oves libere per campos vagantur; ibique diu noctuque vagi pererrant, herbisque pascuntur, quae vel saeviente hieme perpetuo virescunt. Quoniam vero nive multa saepissime obrutus est ager, ita sunt res a natura dispositae, ut inediā oves usque ad decem et amplius dies sustineant, donec nives rite dissolvantur. Mira sane Dei providentia!

Datis enim temporibus, prata iterum adparent atque pecudes satiantur.

Regio identidem periculosa. Namque sunt milvi, saevum et pertinax ferarum genus, gregibus admodum infesti. Quo facto indigenae, ut oves ab eorum rapacitate vindicent, quum primum eos ad voluntates pertimescant, duas vel tres oves interimere student, quas noto ipsi veneno aspergunt. Id est attingentibus infensissimum; namque ea est veneni virtus, ut uno eodemque tempore, veluti fulmine icti illico pereant.

— Heus tu, ad concursum invisendum invitatis, et verbis tamdiu in limine tenes!...

— Haec erant quoque dicenda, ut omnia facilius exsolverem.

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

COMMUNIA VITAE

De officiis¹

— Tuis consiliis faveat Deus (adsit Numen; Caelum adspiret). — Tua consilia fortunent Superi (ad optatum exitum quam citissime Deus perducat).

Si id fueris consequetus, tibi gratificabitur Deus (in te caelestia munera confluent; exquisitis Deus te beneficiis cumulabit; tibi Superi suum favorem imperietur).

— Negotium suscepī (me negotio impli- cavi; irretivi; illaqueavi; oneravi) quod male cessit (cecidit; vertit). — Improspere negotium cecidit. — Malum (infelicem; im- prosperum) exitum habuit (consequutum est). — Negotium egi (obii; curavi; suscepī; administravi; tractavi; sustinui) quod aliter se accidit ac optabam (opinabar; secus ac sentiebam; aliter atque sperabam; contra quam fidebam; praeter opinionem evenit).

Mihi urgens negotium iniunctum est (subitae operae negotium est impositum; festinam operam demandans; celeris operis functionem indicens), quod plane de- cedit. — Gravi negotio (in grave negotium) me interposui (implicavi; admiscui), quod in deteriore partem dilapsum est. — Rem humeris meis graviorem mihi sumpsi (am- plexus sum; procuravi; procurandam suscepī), quam expedire (explicare; eno- dare; excutere; extricare) non valui.

Alieno negotio (in alienum negotium) me interposui (mihi curandum sumpsi; mihi ultro arrogavi) quod evolvere ne- quivi. — Me alienis negotiis immiscui (adhi- bui; implicavi; interposui), quae me in an- gustias compulerunt (arcte coarcteque me habent; quae angustias et faucibus me premunt). — Me totum alieno negotio tradidi (totus alienum negotium invasi), in quo heu! nihil prorsus video (penitus caecutio; nullum exitum reperio). — Alienam rem studiose (cupide) sum amplexatus, cuius tamen exitum expedire nullo modo pos- sum. — Impeditum tenebrisque velut involu- tum mihi videtur esse hoc quod me oc- cupat negotium; tu mihi occurras (provi- deas; prospicias).

Mercaturam feci (exercui); mercatorem egi; mercaturaē operam dedi (navavi; in- cubui); ad quaestuosa negotia (ad mer- cium negotiationem; ad mercaturaē com- pendia et quaestum) animum adieci, resque ita cesserunt, ut plane decoxerim.

Rationes meae ita sunt conturbatae, ut foro cedere (mensarias rationes creditoris-

bus renuntiare; sortem et foenus renun- tiare; caput et usuras renuntiare) prope sim coactus. — Ut nomina fidesque (creditī expediendi pecunia) creditoribus renun- tianda iam mihi sint. — Ut bona mea cre- ditoribus (in publicum) addictura (adiudi- catura) proxime sint. — Ut bonis meis mulctari debeam. — Ut bona mea iam sint publicanda (proscribenda); tu, precor, di- gnitatem meam speces (dignitatis meae rationem habeas).

Vide famam (existimationem; nomen egregium; honorem; gloriam; decus; bonam opinionem) quam apud homines fueram consequutus (adeptus; mihi colle- geram; pepereram; paraveram; conciliaveram) in quod discrimen devenerit! — Videas me apud omnes gratia et auctoritate flo- rentem (gratia valentem; gratiosum; au- toritate pollentem; qui maxima gratia (magno loco) eram; qui plurimi pollebam, iam perdita auctoritate hominem (qui excedit auctoritate et gratia; cuius gratia convolvitur; excidit; aboletur) esse.

Heu! fidem labefactavi (consumpsi); fides me desertura (relictura) iam est. — Fidem iam nullam apud alios habeo. — Homo iam sum sine existimatione et no- mine (cuius auctoritas nullius est ponderis; nihil habet ponderis; nullius est mo- menti). — Existimatio mea apud alios mi- nuta (convulsa) est. — Mea fides et auctoritas derogata (abrogata; infirmata) est. — De mea auctoritate detractum (derogatum; delibatum) est. — Male iam audio et infa- mia flagro. — Alienam existimationem per- didi.

— Non omnia quidem semper prospere (ex sententia) succedunt (fluunt ad volun- tam). — Rebus nostris non omnibus con- tingit exitus, quem optamus. — Non omnia fauste, feliciter, prospereque eveniunt (se- cundissima accident). — Non omnia quae suscipimus ad optatum exitum perducimus (deducimus; provehimus). — Non omnia nobis semper optata contingunt (eveniunt;

optatam sortem adipiscuntur; felicem sor- tiuntur eventum): res igitur priusquam aggrediamur necesse est expendamus di- ligenter (iudicio certo ponderemus; iustis examinemus ponderibus; pari pondere trutinemus; aequa iudicii lance libremus; animo attentius perpendamus).

Ipse ego sum multis negotiis implicitus (involutus; districtus; distentus; immersus; obrutus; opertus; intricatus; impeditus; illigatus; obvinctus; devinctus; obseptus; oneratus; oppressus; oppletus). — Magna et multa me nunc negotia circumvallant (circumstant; circumsistunt; obsepiunt; cingunt; obsident; premunt; urgent); non tamen tuae rei indormiam (in tuis neces- sitatibus indormiscam), dummodo ne iam eo devenerimus, ut quidquid molituri si- mus, merum sit nihilum (omnia ad nihi- lum occidunt; funditus intereant atque de- leantur).

Quamquam adeo me urgent occupatio- nes, ut me non sinant respirare (interquie- scere; tantillum quiescere; interspirare; ut mihi nihil laxamenti (relaxationis) im- pertiant (tribuant); ut non liceat mihi re- laxare vires a labore (recreare animum ab contentione; ut ne momentum quidem interquiescere me patiantur) rem quoque tuam occupare satagam. — Quamquam da- tur nunquam mihi vacare (otiosus esse), et semper cogito, molior, ago; quamquam assiduis occupationibus distineo (implicor; impediō; detineo; irretior; premor); quamquam assidua occupatione me exerceo, nu- meris omnibus, qui supersint, ad tuum di- scrimen animum intendam (me et in tuo negotio immergam; involvam); discriminū tuo affixus (assiduus; attentus) incumbam (haerebo); assiduam pro viribus ac solli- citam operam tuae rei navabo (impendam; dabo); in re tua exercenda omnem curam et operam ponam.

(Ad proximum numerum).

FORFEX.

¹ Cfr. fasc. sup.

PRO IUNIORIBUS

IUDITHA

(HISTORIA E SACRIS LITTERIS DEPROMPTA)¹

Quam simul Holopernes prospexit, alienato ad libidinem animo: «Tibi ho- dierno die - inquit, - vino epulisque indul- gendum est me totum possidenti». Ergo quum omnes accubarent convivio, ancilla apposuit Iudithae cibaria de more, utpote quae ostenderat se ad imperatoris men- sam non posse manum porrigere. Post coenam bene poti in sua quisque taber- nacula, aegerrime corpus trahentes, cubi- tum eunt. Holophernem cibo vinoque one- ratum extemplo somnus oppressit. Tum Iuditha, ne opportunitatem facinoris fa- ciundi dimitteret, iussa ancilla custodire limen diligenter, ad eum introit; gla- dium qui in promptu erat arripuit, quum- que semel atque iterum Deo supplicasset, uno alteroque subinde ictu tyrannum obtruncavit. Caput Bethuliam deportan- dum ancillae tradidit, seque cum ea, fori- bus obseratis, impavida ex hostibus pro- ripuit.

IX.

Etsi erat caussa cur Bethulienses Iudi- thae cuncta procedere arbitrarentur, facere tamen non poterant quin, periculi magni- tudine, inter spem metumque suspensos et sollicitos animos gererent. Quum iam quatriduum domo abesset matrona, et in singulas horas magis ac magis exspectare- tur, ecce, intempsa nocte, haud ita procul ab urbe, ut vigiles notam vocem exaudire possent, conclamat, Deo auctore, patrasse se facinus incredibile memoratu. Magna festinatione nuntius adit Oziam, monens Iuditham ad portam esse. Huius de reditu fama quum uno temporis momento ad ci-

vium aures esset perlata, fuerunt qui cum facibus obviam ei procederent gratula- bundi, atque in omne obsequium paratis- simi. Quae statim ac Bethuliam introit, partim sciscitari quid esset novi, partim laeta et candida denuntiare, partim pae- non opinato gaudio vix accredere, partim clamores fletu mixtos tollere; ad extremum universi feminae virtutem summis in cae- lum laudibus efferre.

Deinde vero silentio facto: «Nobis - inquit Iuditha - invictum suum Deus annuit nutum numenque. Cernite oculis illius imperatoris caput, quo vivo, omnia saeva patiebamur. Me tutelaris Angelus ad hunc interficiendum incredibiliter ar- rexit, ipse mihi in maximis periculis adfuit, ipse me victoria ovantem vobis restituit. Quare, dum vita suppetet, singularem istam Dei misericordiam illustribus lau- dibus celebrate».

Sub haec dicta quum lacrimantes in genua procubuisserint, Ozias pro omnibus loquens aperuit matronae, se nunquam oblivioni daturos factum magnificentissi- mum, quippe se ipsa et suam salutem pro civibus in discrimen obtulerit. Eo die, etsi civitas laetitiis omnibus laeta erat, nemini dubium esse debet quin gaudium Achior fuerit maxime insigne. In conspectum ve- nire iussus, rei novitate ac miraculo attonitus, quae in oculis sita erant adduci non poterat ut crederet. Terribilis imperato- ris faciem aspectans, audire sibi videbatur vocem caelo terraeque procaciter insultan- tantem; se intolerandis humanae patientiae cruciatibus lacerari iubentem. Ut vero collegit animos ad feminae sese pedes abiecit, eosdemque cum multis lacrimis osculans praedicabat, eam tali facinore, apud externas quoque gentes, reliquo tem- pore, in maxima celebritate victuram. Haec Achior quum dixisset, Iuditha pergens: «Defigite palo caput hoc, et pro pinnis moenium alte constituite. Primâ luce, ar- mis instructi, plurimo clamore portis erum-

pite prouersationem in castra simulantes. Exercitui, cognita imperatoris morte, nihil relinquetur nisi fuga. Tum vero de tumulo ad persequendum hostem vi summa pro- currite».

Et iam Bethulienses, praecepto Iudi- tha, vociferabantur parati intentique ho- stem invadere. Quum subito duces Assy- riorum undique ad Holopernis taberna- culum conveniunt. Velariorum praefectus ante vestibulum facit aliquandiu strepitum manibus, erigit aures, vocem nullam exau- dit; ad ultimum sese in cubiculum infert: hortatu ducum, apertoque conopeo, videt hominem humiliacentem et obtruncatum. Suspiciatus id quod erat, ad Iuditham venit; quam ut evolasse comperit, scissa ueste seque acerbissime afflictans, denuntiat He- braeam per fas fidemque Holoperni vim attulisse.

Celeri rumore passim in castris dilato, maximus de repente terror pavorque omni- bus incidit. Interea Ozias ad omnia He- braeorum oppida nuntios et litteras mi- serat, in quibus erat perscriptum ab Iuditha magnifice caesum fuisse imperatorem As- syriorum, cuius exercitum si concidere vellent, ad arma concurrerent, obviamque fugientibus procederent. Quum itaque a

Bethuliensibus hostes peterentur, et Holopernis caput in edito collocatum respice- cerent, torpuit vox spiritusque: mox, armis et impedimentis relicis, in fuga, quae una salutis via sese obtulit, subsidium sibi po- nere conati sunt. Sed quoniam ab Hebraeis undique erumpentibus acerrime preme- bantur a fronte, a tergo et a lateribus, tanta caedes edita est peditum equitumque, ut eam nemo verbis exsequi possit. Bethulienses, qui se in civitate tenuerant, castra Assyriorum ingressi, populationem fecer- runt per mensem et amplius, et potest vere dici offensos fortuna, iuxta atque opibus florentes, multo ditissimos evasisse. Holopernis supellex, prope inaestimabilis, uni Iudithae, grati animi ergo, a populo attri-

buta est. Huius victoriae maxima fuit laus, quod Achior Hebraeorum religionem pro- fessus est cum uxore et liberis.

X.

His rebus confectis, Eliacimus ex Hiero- solyma Bethuliam se contulit cum agmine procerum. Non solum enim cognoscere studebat formam eius, qualis esset quae ex imminentis belli terrore civibus suis otium conciliasset, sed etiam gratulari mat- tronae, quod, expulso tyranno, Hebrei in omnibus oppidis pace fruerentur. Ut pri- um Iuditha de hominum adventu cognovit, obviam eis processit tanta animi vul- tusque modestia, quanta maxima potest cogitatione fingi. Tum his verbis ab Eliaci- mo salutata est: «Tu, Iuditha, Hierosolymam gloria, tu Israëlem laetitia, tu popu- lum nostrum honore affecisti. Tibi ob- castitatem summo studio usquequa servatam contigit, ut infestissimum nobis hostem extingueres. Tuam istam egre- giam virtutem omnia saecula laudibus fer- rent». Populus gaudenti animo prosegu- tus est: «Fiat, Fiat». Excipiebat femina simul pudore gaudioque perfusa tantam suorum benevolentiam; ipsaque hunc in gratiarum actionem Servatori Deo hym- num decantavit:

«Praecinite Deo: ad cymbalorum tym- panorumque crepitum gestite laetitia, Do- mino qui bella conficit novum carmen modulamini. Erepturus ex impiis manibus gentem suam, ipse inter nos castra collo- cavit. Ex montibus ab Aquilone Assur profectus abduxit torrentes, planitas equis opplevit, iuratus velle se flammis absu- mere fines meos, caedere ad internecio- nem iuvenes, abstrahere infantes e com- plexu matrum, abducere virgines captivas. Dominus prostravit eum, Dominus tradi- dit eum feminae occidendum. Non bello strenua iuventus, non filii Titan aut gigan- tes: Iuditha, filia Merari, specie tantum sua frontis perstrictum hominem contu-

¹ Cfr. fasc. sup.

dit. Depositus lugubria, insigni se veste adornavit, filiis Israël laetitiam celebrantibus. Pretiosis unxit faciem unguentis, redimivit mitra capillos compositos, impo-situra duci stolam novam induxit. Holophrenis oculos cuperunt sandalia, pepulit animum corporis forma, formae mancipium hera obtruncavit. Mulieris audacia perturbatis Persis Medisque horror incubuit. Mox, ut humiles mei siti enecti eru-pere se portis, replerunt Assyrii ululatibus castra. Hos puellarum nati transfixerunt hastilibus, ut fugientes pueros leto mererunt, meo faciente Domino ut delerentur. Concinamus Domino hymnum; novum hymnum Deo nostro canamus. Quantus es Domine! Quanta tua virtus! Te quisnam exsuperet? Te mundi parentem et effectorem adorent, tuis et imperiis obedientia homines, quaeque omnia ad tuum emer-sere verbum. Te praesente, ab sedibus imis montes et aquae movebunt, instar cerae saxa liquecent. Qui vero te timent, magni erunt rebus in omnibus. Vae genus meum invadentibus! Ultor aderit Deus, supremoque tempore pro meritis exiget a sotibus poenas, quorum dabit excrucian-das igni et vermbus carnes; et dolor ae-ternus».

(Ad proximum numerum).

F. MILLOZZIUS.

ANNALES

Novus Nationum Societatis con-ventus.

Alter Societatis Nationum conventus habitus his diebus est Genevae, in quo internationale iustitiae tribunal est constitutum, cui supremum de discriminibus inter civitates erit in posterum iudicium ferendum. Dummodo ne Hagense illud tribunal renovetur, cuius fructus norunt omnes!

De armis ubique per orbem deponen-dis agitata etiam quaestio est, quae tamen ad exitum perduci nequivit ea praesertim de causa, quod Germania, Civitates Se-temtrionalis Americae foederatae et Russia extra nationum societatem permaneant adhuc. Praeterea rationes firmatae sunt, quibus a commerciis prohiberi nationes possint, quae Societatis pactiones violav-erint.

De politicis argumentis conventui propositis, primum locum dissensio obtinuit inter Chilensem et Bolivianam civitatem, quae feliciter composita est; et Polonos inter atque Lithuanos, sub iudice adhuc. Disputatum quoque fuit de Albanicae ci-vitatis constitutione; at, usque dum scri-bimus, sine ulla certa illatione. Denique et de commerciorum libertate, de huma-nitate atque sanitate inter populos mu-tuo consensu tuendis opportuna consilia sumpta.

Quod vero maximi momenti in hoc convenio apparuit fausto auspicio fuit, Sta-tus quinquaginta eo collaborationis sensu iam esse motos, qui zelotypiam, usque nunc civitates corrumpentem, superet, et ad quaestiones obiective considerandas ac solvendas adducat.

**

Bellum inter Graecos atque Tur-cas.

Quamquam nihil certi e nunciis ab utraque parte datis deducere possumus de rerum vice circa exercitus in Anatolia bellantes, id satis deduci licuit, Graecos ultra procedere non valuisse, imo a Turcis, Sangarios prope, fuisse cum magna clade superatos.

**

Indorum rebellio.

In India adversus Anglorum domina-tionem seditio, quasi « bellum sanctum », exarsisse dicitur; magna licet, ea tamen non erit, quam reprimere Angli non pos-sint.

Regia funera.

Bellogradi cursum vitae absolvit Petrus Karageorgevitc, Serborum rex, qui post caudem Alexandri illius e gente Obreno-vitc, et Dragae uxoris, mense Maio MCMIII, in solium assumptus, patriam suam in re-centi bello vidit ab Austriacis invasam lateque pessumdatam, vidiisque deinde ser-vitute liberatam et auctam Croatorum Slovenorumque civitatibus. Ei Alexander princeps filius secundo genitus succedit, quem filius alter, Georgius, primus eius heres, imperii muneri abhinc annis non-nullis abdicaverit.

**

Italicorum iuvenum peregrinatio in Urbem.

Magna numerosaque pubes, ex omni-bus Italiae regionibus collecta, ineunte mense Septembri, est in Urbem invecta, ut Pontificem maximum, singulari pietatis et obsequii testimonio visitaret. Annus enim quinquagenarius colitur, maximo equidem apparatu, quem nonnulli adule-scentes, unus maxime et alter, summo religionis studio, Viterbi et Bononiae, ra-dices sanctae illius societatis ponere sunt ausi, quae Italorum iuventutem prece, actione, sacrificio coniungeret.

Iuvenes illi, qui quinquaginta millium et amplius numero Romam venerunt, reputantes in religionis incolumitate securi-tatem christiana reipublicae contineri, ad omnia parati, institutionem aptam ad salutem excoluere. Atque adeo immensa haec Iuventutis Catholicae sodalitas, propositi tenax, nullis retardata periculis, auspice Maria Virgine, in Pontificis obsequium et Petrianae Sedis reverentiam coalescunt.

Et Roma eos adventantes, gestiens ut mater laetitia, alacris exceptit. Magnum equidem fortitudinis exemplum edidere, atque improborum convicia et impotentiam aspernati, difficillimo tempore, adversario-

rum turbas non expaverunt, certi cuilibet se obiectare periculo, quam vel tantillum ab officio erga Patrem recedere.

Itaque, Benedicto XV P. M. confertis-simi, stipati circumfunduntur, et qua ma-xima possunt dignitate, fidei constantiae, pietatis documentum deferunt. Enixe enim unice adprecantur, ut pacatis tandem ani-mis, Pontifex Maximus certus italicae ma-gnitudinis adsertor, in augusta sede diu placideque intersit populo christiano, et requiem curarum et laborum fassis Italo-rum animis a Deo precibus obtineat.

Kal. Octobribus MCMXXI.

POPL'COLA.

DOMESTICUS LUCTUS

Die xviii superioris mensis Septembri, in suburbano, ubi cum suis rusticabatur, nondum proiecta aetate lethali morbo ne-copinato oppressa, placide in Domino quie-scebat

Maria Gerardi Fornari

Moderatoris nostri uxor dilectissima.

Modestia ac pietate insignis, fuit mulier operosa domusque et liberorum curis unice intenta: animi fortis et erecti, mortem hu-manos omnes familiae sua affectus discer-pentem sereno vultu adspexit, Deo unice confisa et spirituali unioni illi, quae animas indissolubili vinculo in aeternum coniungit.

Dum lacrimosum casum amici caris-simi condolemus, a sociis lectoribusque nostris petimus, ut piacularia nobiscum consocient, quibus in Superorum beatissi-mam sedem defuncta saeculo assumatur.

Valeat anima candidissima in pace!

LEO IV

7

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

SCENA V.

PUBLIUS, THEODOTUS, VEGETIUS.¹

PUBL. Dies adsunt nobis graves nunc denuo:
Premunt infensis animis adversarii.

THEO. Magis timendum sed secretis artibus.

VEG. Eos debemus hinc arcere fortius,
Armis seu potius vallis et moenii.

THEO. Qua est, Vegeti, tota ista provincia,
Cui rem tutus Pontifex concredidit.

VEG. Fuit Roma cincta muris tot aheneis
Ut hostis e se posset incursus pellere,
Forent si Barbari numero duplices
Aquarum flumen hic ipsum fluctibus
Hostes hinc arceret enixe et nos protegit.

PUBL. At ipsi repunt improvisi, insinuant
Se tamquam belluae...

THEO. Et gladiis agiles
Adsunt in urbe fortassis absconditi,
Et ut serpentes adgrediuntur rapidi,
Quidquid sustollant pretiosum dum-
modo.

PUBL. Adsunt at milites, multi et intrepidi,
Tulit quos Africa tellus! Et nuperius
Collegi nonnullos ...

VEG. Adsunt et machinae,
Tulit quas actas potens et novissima,
Dedit quas Pontifex citra parsimoniam.

THEO. Ita est! Et milites robusti et integri
Licet recentes, sed virtute praedicti ...

VEG. Suam defendunt et substantiam civium.

PUBL. Adhuc mihi in mente manet memoria
Illius tetricae noctis qua Barbari
Ex improviso surrexere a flumine.

THEO. Erant tot armis praecincti et lanceis,
Erant in primis animis hostilibus,
Ut nil intactum, sanum nil reliquerint,
Et urbem nostram vexaverunt misere...
Solent ut agri postquam recessit hiems.

VEG. Pavor qui civium, quae conturbatio!

THEO. Quot sunt elapsae breviter divitiae?

PUBL. Et imperator?

THEO. Laetatur Byzantii!

Suos et populos bellis perpetuis
Turbat, dilacerat, redigit ad sacculum.
Dedit sed litteras, iterumque litteras,
Ut, rebus bellicis circum compositis
Habere patris se pectus ostenderet,
Foedus iniret cum Christianis gentibus,
Sic Barbarorum frangeret superbiam.

PUBL. Et ipse?

THEO. Respondit: Nos, nos, defen-
[dimus.

Premunt nos undique, lacerant Barbari,
Nec alloquendi tempus cum his am-
plius;

Sed arma potius colligenda et milites.
Esto aliis pacis magister, Pontifex!
Hoc est consilium, labor Pontificis,
Salus, defensio Romae atque Italiae.

PUBL. Hic arma legit, strenuos et milites...

VEG. Munivit Urbem, saepit vallo moenia,
Ut inde incursus pelleremus hostium.
Ita respondit Principi Byzantii,
Et qui dixerat: Vos, vos defendite.

THEO. Nos sed defendit unus ipse Pontifex!

PUBL. Ei sint gratiae peractae maximae.
Quid nisi virtus nunc Leonis adforet?
Prorsus Romana laberetur civitas!

(Interea intus VOCES POPULI exaudiuntur):

« Tibi sint actae graiae quam plurimae!
« Nostra fuiti civitati columen,
« Nostraeque vitae certum propugnacu-
[lum].

(Ad proximum numerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

¹ Introeunt colloquentes.